

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

089

087

093

083

098

078

138

038

188

588

Ende

Anfang

78

Accepta littera promisit nobis Tanguardinus, quod in crastinum nos
vellet mittere in Nilum, in Alexandriam, sicut et fecit, ut patet
fol. 101 a.

Eodem die misit Tanguardinus litteras Uriae contra nos Ale-
xandriam ad Trutschelmannum, prodens nos esse divites et libe-
rales, et ideo fortiter mulcetandos et excoriandos. Hanc viri fal-
laciam postea experti sumus.

Descriptio vel circumscriptio illius maximaे urbis totius
mundi, Cairi et Babyloniae novae, quae alias dicitur
Babylonia Aegypti. Et implicantur multa in hac cir-
cumscriptione de Sarracenorum vita, et moribus et ritibus.

Solent descriptores regionum longe positarum a legentibus
persaepe argui et derisionem pati, quia aut legens invidus est,
cui aliorum dicta et facta placere non possunt; aut est legens in-
expertus, qui nihil credit esse in mundo praeter ea, quae videt
in suo angulo; aut est legens curiosus vel plus quam oportet
studiosus, quia omnia dicta diligenter perlegit, et dum discrepantias
invenit, accipit quod placet, caetera vero non judicat, nisi in
pejorem partem. His tribus generibus legentium hucusque Eva-
gatorium meum exposui rodendum, nunc autem in descriptione
Cairi civitatis eum corridendum et dilacerandum exponam, propter
monstruosam illius urbis dispositionem, et insolitam magnitudinem
et incredibilem quodammodo hominum multitudinem et propter
varietates de hac urbe scribentium et loquentium. Ponam ergo
primum nomina antiqua et nova illius urbis; deinde ejus magni-
tudinem et moschearum multitudinem et contratarum et hominum
officialium, sacerdotum et Mamalucorum et caeterorum aestima-
torum numerum.

Laboriose evagatus sum et transcurri legendō, quae ad manus
habere poteram, invenique multa hujus ingentis urbis nomina.
Dicitur enim Chayrum, Chayrus et Chayra et Chayris, in tribus
declinationibus, a modernis latinis. Vulgares Teutonici nominant
eam Alkyr, vel Alkari et Alkaria. Aliqui Latini dant ei graecam
terminationem, nominantes Chayron, sicut dicimus Ascalon. Dici-

